

14) Si preces meae quidquam apud Te impetrare possunt, rogo Te enixe ne icones nostras aliter quam mentione numerorum tabulis inscriptorum citare velis.

15) Quaeso quomodo hoc demonstras? Itane opus tandem est, ut quilibet novus auctor augeat cumulum nominum, quo jam nimis Botanica laborat? itane mihi per Te non licebit Te aliosque in arte magistros venerari nisi unum mihi assidue delegam et in ejus jurem verba? Anne nomini innititur plantae alicujus cognitio, nec potius characteribus, quibus quaelibet species ab omnibus reliquis civibus regni vegetabilis distinguenda venit? Si placuerit alicui characteres hos ab ipso aut aliis inventos, selectos, definitos, pro omnibus ipsi notis plantis, aut pro dato aliquo numero plantarum, verbi gratia spontanearum alicujus regionis, disponere justo ordine, quo lectores ejus, in contemplatione plantarum vivarum, manucentur ad illum quemlibet characterem i. e. summam et complexum notarum cuilibet plantae competentium, qui in plantam quamlibet propositam quadrat; si ipsi placuerit sub quolibet caractere, a vicinis separato, tamquam vero fundamento omnium quae de planta aliqua praedicari possunt, citare auctores qui de tali planta scripserunt sive solum indicando paginam locumque libri, sive ascribendo nomen quod quilibet plantae illi assignavit; ipse autem nullum adjecerit a se fictum nomen, neque inter congesta synonyma ullum praedamatum pro praecipuo et suo declaraverit, tum talem hominem ideo infantiae artis redargues, et hodiernae lucis literariae, barbarum quippe et librorum eorumque quae in orbe literario geruntur ignarum, commonefacies?

16) Hi quidem certe malevoli sunt et immemores promissi mei in programme, aut si rationem operis cognitam habent, tanto magis iniqui et superbi, quod contemnunt quae nondum in lucem prodierunt. Alienum quidem a me est inter tales homines Te numerare, poteris autem commode ab ipsa commemoratione talis suspicionis abstinuisse, quae non magis me quam superiores meos laedit.